DE

TYPHO ABDOMINALI NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. MARTII A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS STEIN

NEOMARCHUS.

OPPONENTIBUS:

A. JOHOW, med. et chir. Dr.

F. MARGGRAFF, med. et chir. Dr.

W. WENDT, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

SUMME VENERABILI, HUMANISSIMO, ORNATISSIMO

W. ROSS,

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI, EPISCOPO ECCLESIAE EVANGELICAE, CONSILIARIO CONSISTORII ECCLESIASTICI SUMMO ET VERO APUD MINISTERIUM AD REGENDAS RES SACRAS ETC., SUPERINTENDENTI GENERALI PROVINCIARUM ET RHENANAE ET GUESTPHALICAE, PRAEPOSITO BEROLINENSI, SUMMORUM ORDINUM EQUITI ETC.

NEC NON

VIRO

VENERANDO, HUMANISSIMO, DOCTISSIMO

C. KLAEDEN,

VERBI DIVINI MINISTRO NEC NON INSPECTORI ORPHANOTROPHEI SCHINDLERIANI BEROLINENSIS,

VIRO

HUMANISSIMO, SPECTATISSIMO

NERGER,

PATRUELI OPTIMO, DILECTISSIMO

VIRIS OPTIME DE ME MERITIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

MENTE GRATISSIMA

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Physiologia recentiore tempore, quod attinet ad transla-
ionem in praxin, tantopere profecit, ut mox inter numerum
ientiarum philosophicarum studium medicinae poni possit:
ui quidem locus vetusta aetate, cui id ex ipsa rei natura
equi videbatur, concedebatur, non quia medici veteres arte
ua doctissime instructi essent; sed quia philosophi erant ii,
ui artem medicam non modo theoretice colebant, verum
tiam aegrotos sanantes auctoritatem, quae his philosophis
ttribuebatur, in personam medici, quem agebant, transfere-
ant. Per se intelligi potest, istos in multos errores indu-
tos esse, quum philosophica systemata plerumque profer-
ent experientia neglecta; unde factum est, ut medici poste-
iores, errores illorum cognitos in majus extollentes, in
ontrarium inciderent errorem, medicinam enim scientiam
nodo empiricam habebant. Atque hoc vulgare medicinae

genus exstitit, quod chemia parum progrediente et philosophia, quae plerumque vocabula artis interpretanda et systemata theoretica producenda tractabat, cessante provectum est usque ad tempus recentissimum. Nostri demum physiologi celeberrimi, J. Müller, Magendie, C. H. Schultz et alii optime meriti sunt, quod experientiis in physiologicis rebus ab his factis cultus nostrae artis philosophicus plane latet; itidem initium in analysi elementorum organicorum, quo modo in variis morbis mutentur, chemica captum fructus egregios nobis feret. Gravibus igitur et gratis experimentis nisus, quae C. H. Schultz in libro suo „über Verjüngung des menschlichen Lebens“ nobis praebet, tentavi theoriam ab illo prolatam in typhum transferre, id quod mihi eo minus laboris fecit, quum experimenta a F. Simon instituta huic conveniant.

yphi tantam varietatem in ratione et chemica et physica bent, ut communem modo sententiam, cui quidem multi sus contrarii videntur, ponere possimus. Haec fortasse rmam dare possunt.

1. SANGUIS.

Sanguis typhosus in universum majorem solidorum ele-ntorum quantitatem continet, in initio quidem, quod mirum n est, quum vis producendi organica valde debilis est. brinae tamen quantitas postea diminuitur et illa globulorum getur, sive comparatae secum ipsis sive cum conditione nguinis normali. In decursu morbi partes fluidae maxime aevalent, atque eo quidem modo, quo solidae decrescunt: rina rursus comparata cum partibus solidis ac residuo seri inor fit, id quod inde praecipue oriri potest, quia vi vi-li perturbata formatio fibrinae normaliter evenire non otest, et quia verisimiliter aliquid fibrinae solutum et pu-efactum in sero invenitur. Simulac autem aegri ex morbo

recreantur, incrementum fibrinae globulorum quantitate d
crescente observatur.

Serum minorem, ut Reid Clanny quoque affirm
quantitatem salium et acidi carbonici habet. Haematini
solutum nimia aqua copiosiusque in sero adest, cujus col
hac ex re obscurior fit.

Reactio seri est modice alcalica.

Quod attinet ad physica momenta sanguinis typhosi, m
morandum est, discessionem in cruorem et serum non cel
riter procedere; nam minor aut imperfecta alcalescen
praevalente liquidarum partium quantitate cum inclinatio
sanguinis coagulationem retardat. Sanguis est aquosus, t
nuis, dissolutus, neque parietes vasorum satis contracti
neque ad resistendum apti sunt, quare sanguis inter cut
saepissime effunditur atque ecchymoses sugillationesque fing
Sanguis minore cum vi e venis effluit, et si per long
tempus stat, in fundo vitri rubros globulos aut haematin
in parietibus invenimus; quod demonstrat, colorem vasoru
praecipue magnorum et cordis, rubrum ex inflammatione,
saepe contenditur, non oriri, sed solutione haematini et r
tardata sanguinis circulatione nasci.

Conditio sanguinis typhosi coagulandi secundum Bou
laud plures gradus habet, a mollitie coaguli simplice usq
ad perfectum plasticitatis amissum, quo in casu nigrescent
modo, fluidam massam sine coagulo format.

Cruor in initio plerumque magnus est, itidem in typ
complicatis cum inflammationibus. In stadio autem nervo
parvus, mollis, diffluens, facile dirumpendus est, atque in

gitos pressus duritiem, ut in inflammationibus et sanguine rmali, non offert.

Si crusta adest, tenuis, mollis, gelatinosa, ex griseo sea, et quo magis collapsus virium incedit, eo tenuior ue floccosior fit.

Serum pigmento felleo atque haematino saepe per- xtum est.

Sanguis typhosus celerius quam normalis putrescit; nino cadavera hominum typho defunctorum facilius putre- nt quam alia.

Pondus sanguinis specificum levius est.

2. URINA.

Etiam urina, si rationem et physicam et chemicam spe- mus, valde variabilis est. Reactio ejus et acida et neu- lis et alcalica esse potest. Becquerel et Andral urinam ide reagentem invenerunt, simulac in vesica non longe tenta erat vel pus non inerat vel potiones alcalicae datae n erant. Plerumque tamen in initio acida, tum alcalica paret, immo videtur transitus ex acida in alcalicam rea- onem, ac tum ex hac in illam decursum morbi regularem gnificare. In universum autem ad putredinem inclinatur; o processu multum acidi carbonici oritur, quod bullas ene constantes in urina typhosa producit.

Elementa hujus urinae chemica hoc modo mutata sunt. ea in universum diminuta est (secundum F. Simon haec ina 26,6 % in medio continet); acidum uricum contra sac- ssime est auctum. Copia salium, praecipue vim ignis susti-

nentium, pari modo ut in sanguine minor est, ac praesertim salium sulphuricorum vestigium nullum. Saepissime sanguis, pus aliaque urinae admixta sunt. Albuminis quantitas eodem modo in urina saepe major invenitur, quo in sanguine diminuta est. Color urinae typhosae est valde variabilis, e complicationibus ac febris charactere pendens. Bouillaud urinam, quod ad colorem attinet, primis diebus sordide flavam, pellucidam describit, tum serosam, turbidam, putridam; at haec descriptio accurata rarius cum experientia consentit. Nam complicationes cum inflammatione ei colorem inflammationis dant; praeterea autem saepe clarissima est, tenues nebulas faciens, fortuita sedimenta nullius momenti (nam Becquerel numerum casuum magnum nobiscum communicat, in quibus sedimenta accurate observavit, eaque nullo in complexu cum symptomatibus morbi invenit). Secundum Schoenlein urina in primo stadio typhi cum febri erethica clara, pellucida, cum febri synochali e rubro nigricans, cum febri torpida aut putrida longe nigricantior; secundum autem stadium parum pellucido colore, ut ille dicit, indicatur; tum urina colorem fuscum, nigricantem tenet, usque ad tempus criseos, quo clarior fit, perturbationes facit, sedimenta non terrestria, ut phlogoses, sed flocculosa, mucosa accipit; sanationem non nominat certam, nisi urina colorem clarum et pellucidum teneat.

Quantitas urinae est diminuta ejusque pondus specificum levius, atque tanto quidem levius, quo magis febris in putridam se vertit. Densitas urinae est aucta, nisi in prostratione virium permagna.

3. EXCRETIONES PER RECTUM.

In initio typhi solidae vel durae faeces plerumque ex-rnuntur. In secundo autem stadio multa ad cognoscendum orbum signa afférunt. Etenim in vas vitreum ac pellucidum nissae in duas partes separantur: fundum vitri laciniae et occuli petunt, quibus liquor raro pigmento sordide coloratus, rosus superest. Quae excrementa si microscopio accuratius xploras, stratum superius puris et muci corpuscula solito inus globosa, filamentis juncta ostendunt; praeterea magnam ıantitatem crystallorum, qui secundum F. Simon ex acido ıosphorico cum magnesia atque ammonio conjuncto con-ant, ammonium carbonicum, materiam aliquam in subtilissi-as partes divisam, atque albumen calore et acidis se coagu-ns continent, sicuti aliquid sanguinis et fellis. Stratum autem ferius constat praeter epithelium membranae mucosae ex agna supra dictorum crystallorum copia, materia lutea et norpha, et corporibus typhosis faecibus propriis, rotundis el lenticulatis, fuscis aut luteis, quae pressa in multas par-culas concentricas dilabuntur. Quae corpora (bullae) pin-uedine mox rigescente oppleta sunt et villorum apicem gunt. Reactio hujus strati est fortiter alcalina.

4. INTEGUMENTA LINGUAE FULIGINOSAE.

Jam B. Langenbeck in membrana laryngis mucosa ıngosas formationes invenit. Recentiore autem tempore F. imon integumenta linguae accuratiori observationi subjecit,

cujus experta fere haec sunt. Singulae partes erant corneae fuscae, aqua facile solubiles; microscopio animadvertit, massam ex epithelio constare, inter quam sporula singula aut bina aut raro terna.

Filamenta fungosa aut seriem sporulorum longiorem non vidit. Magnitudo sporulorum, quae nihil continent, varia, a ea globulorum sanguinis usque ad duplo majorem; forma ovata, raro rotunda; color clarissimus.

AETIOLOGIA PHYSIOLOGICA.

Duo sunt praecipue momenta, quae nobis causas processus typhosi cogitantibus sunt respicienda: mutationes systematis chylopoëtici atque respirationis. Primum videamus illas.

Motus ventriculi, singulas ciborum partes per eas ipsas moventes (qua causa succi digerentes frequentiorem contactum cum his efficiunt), metamorphosin materiarum illatarum adjuvant. Itaque omnis causa illos motus retardans digestionem impedit, quam ob rem tum contenta ventriculi corrumpi et putrefieri opus est. Huc pertinent vitia diaetetica, venter cibis oneratus, refrigeria, excessus in venere et baccho, animi affectus deprimentes, magna virium consumptio atque alia.

Quod caeterum attinet ad nutrimenta varia, eorum male digerendorum ratio haec est. Solae carnes, quum in ventriculo et coeco longius quam digestio durat morari debeant, facile corrumperentur, ac vice versa nutrimenta vegetabilia, prius quam in chymum mutari possunt, e tractu intestinali emoverentur, nisi secum permiscerentur neque vegetabilia in coeco etiam porro digerentur.

Hoc modo ex regno animalium, ut exempla afferam, assum, quod assando in carbones vertitur, difficile concoquitur; pisces macri, non pingues, qui intestina aequo minus movenda irritant atque ita longius in iis manentes corrumpuntur ac putrefiunt (quo gas hydrothionicum et hydrophosphoricum producitur), multas dubitationes habent; itidem ostrea, caseus vetus (qui facile etiam magis corrumpitur) nocent. Ili cibi

praevalentem nitrogenii quantitatem efficiunt, quod sudore urinaque ejici non potest. Inter vegetabilia, quae propter inflationes facile movendas noxia sunt, praecipue sunt numeranda praeter panem malum, atrum crucifera, leguminosa atque alia.

Digestio, si corpus in typhum pronum, haec est.

Chymus in chylum sic vertitur, ut bilis alcalica chymum acidum neutraliset. Pro eo ut altera pars alteri praevaleat, diversi existunt exitus. Noster morbus ex majore alcalescentia originem habet. Quae alcalescentia absolute aut relative praevalere potest. In typho imprimis secundo casu occupari debemus. Gastrica enim symptomata, quae typhum plerumque comitantur, chymo normaliter acido non favent, et quum in typho incipiente sanguis materiis alienis sese depurare studeat, functio hepatis depurativa aucta est. Itaque bilis quantitas major quam chymi adest; id quod illud incommodum affert, ut corruptionem adjuvet atque ita intestina gase hydrothionico et hydrocarbonico oppleat. Haec alcalescentia in primo stadio faeces satis longe retinet, sed quum hepar per longius tempus contentum functionem suam aequo vigore exercere desinat et corruptio invalescat, in secundo stadio diarrhoeae sequuntur, praesertim quum sanguis ipse jam ad dissolutionem inclinetur atque ea, quae emittit, eo facilius corrumpantur.

Caeterum ille casus hic mihi memorandus est, ubi typhus ab diarrhoea incipit, id quod saepe, ut exemplum afferam, militibus accidit. Haec conditio digestionis, quae chymo nimis acido efficitur, in victu sita est. Typhi ita incipientes maligniores esse videntur: nam non modo vires aegrorum atte-

ıuant, sed etiam acidum nimium excitat intestina, ut solito ›rius pseudoplasma in iis deponatur.

Jam venimus ad potiones.

Aqua fluvialis, cui corruptae ac putridae materiae orga-ıicae sunt admixtae, perpetuam corrumpendi rationem susti-ıet; aqua palustris plures etiam tales materias continet, quae gas hydrocarbonicum, hydrocyanicum etc. emittunt.

Haec gasa non modo digestionem regularem interpellant, verum etiam resorpta sanguini sese miscent atque nervos ıoc modo debilitare debent. Infra ad mutationes sanguinis ›er haec gasa paratas revertemur.

Restat, ut de digestionis genere loquamur, quod cor-›us ad typhum pronum facere potest, si praevalentem aucto-itatem occupat: dicimus digestionem coecalem.

Digestio coecalis proprie pro vegetabilibus ac liquidis ebus porro digerendis adest, et quum materiae adhuc crudae o perveniant, satis longe durat. In hac autem intestinorum ›arte apta vasorum lymphaticorum quantitas ad chymum re-orbendum non exstat, quare vena portarum incitatur, ut esorptionis negotium suscipiat: multis igitur, partim crudis, uamvis assimilabilibus materiis oppletur atque inquinatur.)uamquam sanguis has materias porro commutandas lieni, c vasis lymphaticis tradit, tamen natura sic fert, ut itera-ione harum rerum in sanguinem immissarum perpetua a san-uine perversum officium postuletur, hoc est officium vasis ymphaticis proprium materiarum crudarum perficiendarum, quum ad propriam efficacitatem assimilatas materias organice onstituendi redigendus sit. Huc accedit, ut gasa supra me-ıorata digestione coecali resorpta in sanguinem transeant,

atque ut resorptio chyli normalis pari modo sit perturbata, quo digestio coeci anomala aucta est. Unde facile concludere possumus, metamorphosin progressivam sanguinis maxime inclinari ad se mutandam in regressivam, id est ad sanguinem corrumpendum. Cujusmodi sanguini plus elementa chemica quam organica insunt, ejusque vis vitalis corpus regenerandi ac restituendi perditur.

Quemadmodum systema chylopoëticum compositionem ac restaurationem administrat, ita respirationis est, sanguini circulanti vigorem et energiam vitalem attribuere. Nobis igitu circumspiciendum est, qualis aëris conditio metamorphosin sanguinis respiratione efficiendam dirimat.

Maturitas sanguinis ad id modo referenda est, quo organica ejus in se ipso excitatio formatione chemicarum materiarum praevaleat, atque facultates sanguinis vivae externa incitamenta superent. Videmus autem aëre humido pe longius tempus respirato contractilitatem globulorum diminui acidum igitur carbonicum non satis excerni potest et commutatio nucleorum in fibrinam propter imperfectum oxygen impulsum hac ex re non legitime succedit. Plasma crebrin elementis fluidis fit, quae facultate contrahendi deficiente non ut solet, per renes et cutem excernuntur, sed in sanguin relinquuntur: sic sanguis in statum aliquem phlegmaticum incidit, qui processum formandi impedit. Aliud incommodu est solutio haematini, cui imminuta globulorum contractilit et aucta fluidi copia favet.

Inter mephitica gasa aëri admixta, quae itidem ne sanguis partibus chemicis assimilatione et intestinorum et respirationis illatis depuretur prohibent, sunt numeranda g

mmoniacum, hydrothionicum, hydrocarbonicum, hydrophos-hor., carbonicum, alia; quae gasa illis in regionibus otissimum inveniuntur, ubi reliquiae vegetabiles aut ani-ales putrescunt: in regionibus palustribus, littoribus, aut locis hominibus nimis impletis, aut ubi aër inspirandus epurari non satis potest conditionibus iniquis; in nosocomiis, arceribus, navibus, angustis cubiculis, cellis etc.

Haec gasa vertiginem gignunt, pulmones incitant; forma-o sanguinis arteriosi coërcetur. Praeterea eadem gasa vim ontrahendi globulorum attenuant; exhalatio pulmonum et xcretio acidi carbonici retardatur, ita ut et parva oxygenii uantitas vim ad globulos habere nequeat. Sanguinem ve-osum si fundis, cum his gasis impraegnatum plane vides.

Parva gasis ammoniaci quantitas sine incommodo admixta sse et plasmate resorberi potest, immo salubriter stimulare; ajor autem copia, imprimis conjuncta cum hydrogenio, et lasma debilitat et globulos colliquefacit.

Gas hydrothionicum, hydrophosphor. etc. longe majus ncommodum afferunt; non modo energiam sanguinis, ut riora, inhibent, sed etiam ei colorem nigrum inducunt eum-ue illitum, sordidum faciunt, ut in malignis typhi casibus requenter videmus. Haec gasa praesertim inveniuntur in no-ocomiis hominibus typhosis refertis: namque ut Chaussier emonstravit, exhalationes pulmonum facillime dissolvuntur et orrumpuntur, quo haec gasa oriuntur. Quam ob rem typhi er contagium exorti (haec enim gasa contagium constituunt) emper admodum maligne insistunt. Sanguis quidem hoc nodo mutatus formationes organicas producere nullo modo otest: ejus vis vitalis prorsus perit eademque ratione ehe-

mismus emergit, immo sanguis typhosus transfert chemismum in partes corporis solidas, quae itidem, pro eo ut processum nova formandi atque obsoleta movendi perpetuo sustineant, dissolutione elementorum organicorum corripiuntur. Sanguis niger systema cerebrospinale non satis excitat, cujus rei consecutio haec est, ut vires celeriter prolabantur et animi functiones pereant. Itidem circulatio propter vim sanguinis vitalem deficientem retardatur; videmus igitur, organa majora sanguine multo affluere, qui in iis stagnat. Sic sanguinis typhosi stasin frequentissime ac fere semper invenimus in pulmonibus, quae eo pejor complicatio est, quo saepius pneumonia hac ex re orta symptomatibus subjectivis rarissime pronuntiatur; neque unquam nobis negligendum est, pulmones in typho inquirere, ac praecipue partem posteriorem atque inferiorem, ubi stasis sanguinis propter aegrorum situm in tergo plerumque existit. Cor dilatatur, potissimum dextrum; ictus ejus sunt tenues, strepitus clari ac resonantes ob praevalentem fluidi quantitatem sanguinis, et ictus cordis etiam in venosum sanguinem (venarum jugularium pulsus inspici potest) produntur, quippe massa sanguinis aequo magis fluidi propter nimis parvam energiam motum ex corde ortum avertere non potest. Pari modo hepar, lien et venae abdominis sanguine impleta et dilatata sunt.

Vasa facile comprimi posse natura docet, viribus debilibus.

Nunc quaeritur, cujus aetatis, individualitatis, aut sexus homines typhus praesertim invadat. Aetas momenti est magni, si quidem homines circiter ab anno decimo quarto usque ad trigesimum sextum ad typhum maxime praedispo-

siti sunt. Haec est aetas, qua corpus et animus eodem in gradu culturae versantur, qua igitur omnis causa, quae per longius tempus majorem potestatem in unum aut alterum tenet, corpus ad morbos propensum facere potest. Huc referenda sunt vitia diaetetica, magna virium contentio, refrigeria, excessus in venere et baccho, permagnus aestus, animi affectus deprimentes, alia. Caeterum aetati provectiori typhus ea modo ex causa parcere videtur, quia morbo semel aetate supra dicta superato corpus raro ab eodem invaditur et quod facilius conditiones iniquas vincit: id quod et aetate juniore fieri solet, ubi vita vegetativa aliena facilius assimilat, aut emovet sine detrimento corporis. Quod spectat ad sexum, nihil discriminis inter viros et foeminas intercedere videtur, nisi excipere velis, quod foeminae hanc ob rem rarius ab typho corripiantur, quia sese conditionibus eum efficientibus minus committunt.

Individualitatis ratione habita homines charactere phlegmatico et melancholico facilius a nostro morbo invaduntur quam illi charactere irritabili et cholerico; itidem prognosis apud illos est pejor quam apud hos.

Oriri potest typhus non modo sua sponte, sed etiam per contagium, id quod saepissime in homines humiles, sed robustos ac bona valetudine praeditos cadit.

SYMPTOMATOLOGIA.

Typhorum duo imprimis stadia discernere possumus: stadium prodromorum ac stadium nervosum, cui, si vis, stadium convalescentiae accedit.

Haud raro stadium prodromorum animadverti non potest, etenim ejus signa ita leniter ac lente exsistere possunt, ut aegroti nihil animadvertentes diligentiam medici negligant. Fieri scilicet potest, ut sanguis sensim sensimque commutetur et reactio corporis, febris, tum demum videatur, quando processus pseudoplasmaticus, ulcera in intestinis, jam processit. In universum autem symptomata hujus stadii fere haec sunt.

Aegroti plerúmque de molestiis gastricis queruntur; appetitus ciborum deest, lingua apparet albida vel subflavo integumento obducta, sapor oris amarus aut mucilaginosus, vomiturationes aut ipsi vomitus consequuntur, et circa alas nasi angulosque oris color ille febribus gastricis proprius, ictericus, se ostendit; alvus plerumque obstructa, interdum alternat obstructio cum diarrhoea. Quae tamen conditio ab illa in febribus gastricis occurrente eo plane differt, quod systema nervorum et cerebrospinalium et gangliorum egregie affectum est. Aegroti enim horripilationes accusant, praesertim secundum columnam spinalem usque in crúra; tum etiam lassitudine ac gravitate quadam corporis affecti sunt, et labores consuetos magno cum taedio perficiunt. Ubi autem accidit, ut febris ab initio accedat, saepe synochalis est, quod hac ex re explanare possumus, quia sanguis alienas partes sibi admixtas multo majore vi emittere studet. Huc accedit, ut aegroti

vertigine, praesertim e lectulo surgentes, corripiantur et perpetuo capitis, praecipue occipitis, dolore vexentur; oculi lucem refugiunt, dira somnia auriumque susurrus aegrum torquent; cutis saepe siccescit temperie adaucta, et si sudores ipsi adveniunt, adjumentum aegroto non afferunt.

Omnibus his symptomatis ingravescentibus secundum stadium, quod dicitur nervosum, ingreditur. Characteristicae illae diarrhoeae, quarum de natura jam in physiologia verba fecimus, initium hujus stadii indicant; regio hypochondriaca dextra, ubi intestinum ileum in coecum transit, doloribus, qui pressa alvo crescunt, afficitur, sed peculiaris ille strepitus, qui dicitur coecalis et quem nonnulli medici in hac regione ileo-coecali audiri volunt, nostro morbo proprius esse non videtur, nam semper, si materiae liquidae ante valvulam Bauhini retinentur, percipitur. Quo magis morbus progreditur, hic dolor augetur, et si aeger etiam inscius jacet, tamen illo loco manu presso in magno adeo stupore faciem distorquet; copiosiores ac frequentiores alvi dejectiones fiunt et vires aegrotorum celeriter evanescunt; simul abdomen meteorismo intumescit, nec raro insciis vel non animadvertentibus aegris faeces ejiciuntur.

Apathici aegroti in lectulo jacent, oculis clausis, et quum palpebras laboriose tollunt, torvis oculis spectant; propria facies, ut ita dicam, typhosa exprimit stuporem nobisque ostendit morbi gravitatem; genae sunt collapsae, luridae, ore semiaperto fit inspiratio. Quamquam patientes appetitum cibi aut potus prorsus amiserunt, tamen omnia, quae iis offeruntur, summa cum cupiditate devorant. Lingua si sicca, vox titubat, aegri radice linguae graviter loquuntur; sin

autem lingua humida, vox est clara, vociferans et tremula quandam caprae mutitionis similitudinem gerit. Deliria mussitantia sub vesperum accedunt, quae morbo provecto die noctuque continuantur; comate aegri, ex quo quidem facile excitari possunt, obruuntur. Febris capit incrementum; pulsus 120—130 ictus faciens, fit parvus, vacuus, facile comprimendus, debilis; cutis arida, tangenti manui ardentem et mordacem calorem communicat. Lingua primum in radice et marginibus siccescit et rubescit, sensim sensimque et in media parte, ac tum gingiva et dentes et apertura narium fusco et fuliginoso indumento teguntur; fit aspera et finditur in eundem modum atque degeneratio membranae mucosae intestinorum accrescit.

Aegroti supini jacent neque in lecto sedere possunt, sed ad crura delabuntur; receptivitas externarum impressionum magis magisque evanescit; auditus gravitate laborat, oculi semiclausi languescunt, atque suam aegri conditionem false judicant, nam de valetudine interrogati sese bene valere semper respondent. Accedit floccorum venatio, tremor artuum, singultus. Si morbus in sanationem discedit, haec symptomata nervosa per lysin decrescunt, ulcera intestinalia cicatrisantur; sin in finem mortalem se vertit, in summa virium exinanitione pulsus existit frequentissimus, vacuus, filiformis, extremitates frigescunt, meteorismus abdominis evehitur ad summum fastigium, dejectiones inscíae et invitae sanguine dissoluto miscentur, et accedunt omnia illa symptomata, quae obitum indicant.

Saepissime complicatur typhus abdominalis aliis morbis: affectionibus organorum respirationis, quae propter stasin sanguinis typhosi in pulmonibus frequentissime obviae sunt, inflammationibus cerebri aut hepatis. Signum pessimum sunt parotides intumescentes, quae exulceratae mortem virium vitalium consumtione adducunt.

VITA.

Natus sum ego GUILELMUS STEIN, Tornoviae, vico Brandenburgensi, die XXII mensis Decembris anno h. s. XIX, patre FRANCISCO, professore et doctore, matre DOROTHEA e gente JANISCH, quos jam defunctos lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus, in orphanotropheo Schindleriano porro instructus sum, usque quoad gymnasium leucophaeum Berolinense frequentavi, quod tum directore Beato KOEPKE florebat. Testimonium maturitatis nactus, mense Majo anni 1838 universitatem Berolinensem petii, ibique a rectore magnifico Ill. BOECKH in numerum civium academicorum receptus, apud Ill. WAGNER, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum, nomen professus sum. Per quatuor annos hasce audivi praelectiones: Ill. GABLER de logice, Ill. SCHULTZ de methodologia et encyclopaedia, Ill. KUNTH de botanice, Ill. MITSCHERLICH de chemia experimentali, Ill. WEISS de

mineralogia, Ill. ERMAN de physice, Exp. ISENSEE de anthropologia et psychologia, Cel. MITSCHERLICH de materia medica, Ill. SCHLEMM de osteologia, de anatomia organorum sensuum, et de anatomia universa Ill. MUELLER, qui idem cum Ill. SCHLEMM in arte cadavera secandi mihi dux fuit; Ill. CASPER de pathologia et therapia, Exp. TROSCHEL de chirurgia, Ill. BUSCH de arte obstetricia.

Praeterea frequentavi clinicas exercitationes Cel. TRUESTEDT, Cel. WOLFF, Ill. SCHOENLEIN, Ill. BUSCH, Ill. JUENGKEN.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES.

1. Fieri posse, ut in typho abdominali sanguinem detrahamus necesse sit.

2. Nisi, qui liberalibus rebus faveant, veram medicinae indolem non cognoscere.

3. Carcinoma sanari posse.

4. Amputationem capitis, nisi apoplexia nervosa, mortem non afferre.

THESES.

1. Fieri posse, ut in typho abdominali sanguinem detrahamus necesse sit.
2. Nisi, qui liberalibus rebus faveant, veram medicinae indolem non cognoscere.
3. Carcinoma sanari posse.
4. Amputationem capitis, nisi apoplexia nervosa, mortem non afferre.

NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS LOST ON SEVERAL PAGES)